

nach einer Abschrift des Chartulars von Romainmôtier im Staatsarchive zu Freiburg in den *Mém. et doc. de la société de la Suisse Rom.* III p. 419 und daraus verschlechtert (mit eingesetztem 'Leo') in Migne, *Patr. Lat.* 143 p. 653¹. Wir lassen deshalb den Wortlaut nach Crousaz' Pausen hier folgen:

¶ C(lemens) EPISCOPUS, servus servorum dei, .H(einrico), dilectissimo filio imperatori Romanorum et regi Burgundionum, | episcopis et principibus regionis illius, salutem et apostolicam benedictionem. Volo scire dominationem vestram et | successorum vestrorum, quia monasterium quod vocatur Romanum fuit quondam commendatum antecessoribus nostris ad servandum et custodiendum et tuendum, non ad dandum et vendendum nec ad beneficium dandum, sed qua occasione illud accidit, paucis vobis me² dicere libuit. Multorum relatione didici, quod domnus Stephanus, venerabilis huius Romane sedis episcopus³, quibusdam necessitatibus impeditus et ad⁴ Longobardis graviter angustatus, necesse habuit consilium querere ad⁴ Francorum rege, quia carebat tunc Romanus orbis persona imperatoris, et qui consules et dictatores videbantur, non erant tante virtutis, ut possent sanctam ecclesiam Romanam liberare a tot imminentibus turbinibus. Erat enim tunc temporis in partibus Galliæ rex pius nomine Pipinus, ille Pipinus, cuius filius fuit heres et imitator Karolus magnus, qui audiens necessitatem sancte Romane ecclesie, vocavit predictum domnum papam Stephanum, ut ad se veniret et de principibus terre secum deduceret, cum quibus tale⁵ consilium inveniret⁶, quo eius ecclesie subveniret. Annuens precibus regis usque Parisius venit. Susceptus est honorifice ut pontifex summus a rege et regni principibus, et tanto honore et reverentia illum rex coluit ut utrosque decuit multoque tempore secum retinuit. In quo loco multa miracula per eum dominus dignatus est operare. Ut de ceteris taceam, ut libri illius monasterii locuntur, visus est presentiam apostolorum P(etri) et Pauli et beatorum martyrum ibi quiescentium sibi allocutos, ut ecclesiam illam apostolorum auctoritate sublimaret et supradictum regem P(ipinum) et filios eius reges eligeret et consecraret et divina et apostolica auctoritate preciperet, ut nullus mortalium per succedentia tempora in illo regno nisi de illorum prosapia et propagine regem ordinare auderet⁷. In supradicto vero negotio et itinere in quibusdam iurensibus partibus posito monasterio iussit sibi hospitium preparare. Susceptus et servitio

1) Jaffé, *Reg.* 4238 (3222). 2) Zwischengeschoben. 3) Papst Stefan II, 752—757. 4) So im Original. 5) Es scheint ursprünglich 'talem' geschrieben zu sein, dann nachträglich im m corrigiert. 6) 'anveniret'. 7) Entnommen aus der Clausula de Pippino, SS. Mer. I, 465. W.